



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 8. De Divitijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)



aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit: Sunt vitia, quæ commendantur exemplo: alia imprimuntur Sermone: plurima allinuntur conversatione. Tutissimum est, omnes suspectæ vitæ amicos Sodales cavere, & discessionem ab ijs maturè facere. Et iterum paulò post: Viva vox & convictus ad docenda vitia, & suavis, & potens est persuasio; habet enim vim præcepti frequenter aspici, audire frequenter. Socium ergo improbum aut imiteris necesse est, aut insecteris, utrumque vitandum est, ne aut malis similis, aut multis inimicus fias. Malorum enim ubique plurimos invenies.

§. VIII.

*De Divitijs.*

I. Sunt bona externa ad usum hominum cum Dominio concessa; de quibus *Sequentia Ascetæ* scienda sunt.

II. Primum est, ut earum fallaciam bene cognoscat, atque adeò eas maturè abjiciat & perdat, ne ab ijs perdat.

III. Secundum est, ut, cum sæpe non possint omnibus bonis se privare, doceat solidum & securum modum ijsdem utendi, ut scilicet cor non apponant, sicque utantur quasi non utentes.

IV. Tertium est, ut ad veras & spirituales divitias potissimam suam curam & convertat ipse, & alios convertere persuadeat, eas nempe, de quibus S. Bernardus dixit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Ad has enim ipse etiam Christus hortatus

Z

tus



tus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

## PARS VI.

DE MODO PROFICIENDI  
IN SCIENTIA ASCETICA.

**M**odum hunc egregiè sapientissimus Salomon exemplo suo docuit, dum Sap. 7. dixit: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia: & prapofui illam regni, & sedibus &c.* per hæc enim verba sat clarè ostendit, se tria præcipuè media adhibuisse ad Sapientiam comparandam, nempe desiderium, orationem, & propriam cooperationem; quæ proinde ab ijs quoque, qui Scientiam Asceticam bene addiscere capiunt, adhibenda erunt; quâ ratione autem ea in praxi utilis panda sint, jam nunc ostendetur.

## CAPUT I.

DE DESIDERIO AD SCIENTIAM  
ASCETICAM ADDISCENDAM  
NECESSARIO.

**I.** **Q**uantopere desiderium, conducatur ad Scientiam Asceticam, ipsamque adeò perfectionem consequendam, clarè iterum Salomon Sap. 6. ostendit dicens: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia: & facile videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui querunt illam.*